

stent tenuibus, tam determinato modo, uti requiritur, & parallelo aqueos globulos in crystallificatione perpetuo stringant & amplectantur. Deinde etiam indifferens videtur crystallificationis istius modus tum ad parallelipedum, tum ad prisma elongatum, tum ad cubum sex pyramidibus, vel quinque saltem planis suis injacentibus stipatum, quam ad cubum omnino putum & nudum constituendum.

Salis Acidi
natura.

Sed ne ultra longius evagemur, paucis subjungimus Salis Acidi indolem ex prænotata hypothese. Hoc Sal quidem Gulielmus extra quatuor suorum salium genera in specie dari haud concedit, & aluminosis octaëdricis moleculis, ac vitriolicis parallelipèdo rhomboidalibus, utpote præ reliquis magis acutis, quam nitrosæ sunt & muriaticæ, aciditatis qualitatem adscribit, ita ut ad causam saporis spirituum sic dictorum mineralium, qui ignis tortura à quatuor illis salibus proliciuntur, non satis attendisse videatur. Statuitur itaque in altero bullari systemate particulas muriatici salis ignis impulsibus brachia illa tetragona, quæ inter globulos aquæ incumbentes & quatuor subjacentes stomati accreverunt, abrumpi, aqueas particulas è nidulis ejici, & simul ambo, relictis pro capite mortuo mutilis quadris, sub liquidi forma propelli; cumque quatuor extremitatibus satis acutis hispida sint, Acida, ob irritantem pungentemque fibrillas nostras nerveas & solidiora alia corpora corrodentem indolem, sic dicta constituent. Eodem porro modo ac Muriaticæ particulæ integræ, etiam hæ tetraëdricæ aqueas particulas diversimodo situ involvendo in Crystallinos abeunt, vel rhombiformi vel quadratâ, vel parallelogrammicâ vel pentagonâ itemque hexagonâ basi; imo videtur alias quoque dispositiones acquirere posse quam re ipsa in acidi salis crystallificationibus observantur, ita ut Theoria hæc paulo fertilior depræhendatur, quam ipsius rei simplicitas exigit.

Nitri Cry
stallificatio

Nitri compositionem has etiam particulas subingredi in hujus expositione statuit laudatus. Cum nempe circa unam materiæ subtilis bullulam quatuordecim particulæ acidæ, tot enim juxta eum bullula ætheris, nec plures admittit, circum apponuntur, quibus deinde duodecim aquæ accedant: sex nempe circa peripheriam, tres supra & totidem infra, adeo ut Nitri molecula sit compositum ex acidis, & aquis circa volumen exiguissimum elementi ignei adhærentibus. Jam verò, ut particulæ hæ in Crystallinos abscendant, credit illas, cum in solutione per evaporationem aquei globuli deficient, decomponi, & aquæ globulos aliquos ex alveolis aut forulis, quæ à tetraëdris acidi circa ætheris volumen effor-

effor-